



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Exterminatione Mali, Et Promotione boni - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1613**

De generali sui abnegatione. Cap. 32.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77843)



proficuum operare. Erit tibi cella seminarium quietis, locus pacis, radix omnigenæ perfectionis. In ea, scientia crescit, virtus augetur, multiplex imperfectio sensuum, linguæ, & cogitationum, vitatur. Qui autem cellam custodire nesciuit, viam spiritus ignorauit.

*De cura modestiæ.*

CAPVT XXX.

**I**N omnibus actionibus tuis modestiæ memori esto, & ita te geras vt non minus tibi quam aliis te aspicientibus conuulsas. Modestiæ non tantum virtus est, verum & omnium virtutum ornamentum & vestis, sine qua minus decentes apparent. Illa est quæ apud homines quoque æstimationem conciliat: quoniam ex occursum faciei, & ex his quæ exterius vident, solent nostra interiora metiri. Et sicut internæ serenitatis est index, ita solet illam inter turbationis occasiones seruare. Tu igitur tum in serenitate vultus, tum in maturitate incessus, tum in moderatione omnium externarum actionum, modestum te exhibe, ita vt hæc exteriora internam tranquillitatem monstrant, omnes ædificent & Christi ipsius imaginem nonnullam exhibeant, cuius tam insignis & mirabilis fuit modestiæ, vt per eam voluerit Paulus Corinthios obtestari.

2. Cor. 10.  
1.

*De contemptu sui.*

CAPVT XXXI.

**I**SCEB te ipsum discutere, te ipsum iudicare, teque increpare, atque contemnere. Vtilior scientia est ire se ipsum inspicere, quam ipacia terarum & amplius uinem cæli cognoscere. O quoties hæc scientia hominem decepit, vt cum nihil sit, se aliquid esse putaret: scientia autem cognitionis sui semper iniecit sana & vtilia consilia, & ad humilem sui despicientiam adegit. Auerte igitur oculos tuos ab his, quæ in te bona & excelsa conspexeris, quia aliena sunt, nimirum Dei, qui ea tibi gratis & sine tuo merito attribuit, & solum ea cogites vt pro acceptis gratias referas. Ea verò subinde considera, quæ in te abiecta & despiciabilia deprehenderis, quoniam hæc tua sunt & à natura corrupta profecta, & propter illa te ipsum singulis momentis (si fieri possit) arguere & aipetnari non desinas. Ea verba in ore tuo sonent, quæ corde conceptam tui ipsius despicientiam exponant. Eadem ab aliis audire desideras, & os peccatoris ineptè laudantis non impinguet caput tuum. Fuge hominum plausus, fuge linguas adulantium, fuge sæculum, & eos libenter ausculta, qui sincerè veritatem aperiant, & quod reprehensione dignum viderint, reprehendant: si te ipsum ita contempseris, & tui contemptores amaueris, Deus te vt pupillam oculi sui diliget, & magnis donis ac charismatibus exornabit: sanctum enim odium quo homo se ipsum odit, Deus suo amore abundè repensat, & in corde eius qui ipsum odio prosequitur, seque ipsum despicit, igne charitatis accendit.

*De Generali sui abnegatione.*

CAPVT XXXII.

**Q**UI vult venire post me, ait æterna veritas, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. ] Hæc vox, (semetipsum) non aliquam partem hominis, sed totum hominem abnegandum esse designat. Tu itaque qui Christum sequi, eiusque vestigiis inhære vis, generalem tui ipsius abnegationem suscipito. Mortifica sensus tuos tum internos tum externos, impera appetitibus tuis, cohibe iudicium & voluntatem tuam, nihil sit in te quod non mortificatio comprimat, & non castigatio abnegationis censura. Præcipue tamen curam habe cohibendæ duplicis linguæ corporis & animæ. Linguam corporis cohibe, ne noxia, ne sæcularia, ne inuitalia loquaris. Linguam animæ, id est, cogitationem, cohibe, ne inania, ne impura, ne infructuosa cogites. Si has duas bestias, linguam carnis & cogitationem, domueris, mirabiliter te ad diuinam familiaritatem disposes. Nam Deus illos alloqui dignatur, quos viderit à verbis inanibus abstinere, & suam cogitationem ad vnum, quantum valuerint, scilicet ad ipsum Deum, reuocare.

*De Castigatione corporis.*

CAPVT XXXIII.

**A**STIGA corpus tuum, & hunc seruum semper rebellem flagellis asperitatum caude, ne spiritum deprimat, & ad alicuius mali consensum adducat. Caro concupiscit aduersus spiritum; ne igitur eum deiciat, concupiscat ex aduerso spiritus aduersus carnem, eamque sibi subiugat, & immodicas vires ieiuniorum, vigiliis, & aliis afflictationibus auferat, ne in detrimentum victus insolescat. Bestiæ non rationibus nec argumentis persuasæ, sed virga percussæ, homini parent. Caro autem bestia est, quam nunquam sola consideratione, sine debita castigatione, domueris. Curam etiam assidua mortificationis & abnegationis tui, afflictione carnis ostende. Quia inualeto corporis, quæ in pallore faciei, & imbecillitate non apparet, aut nulla esset, aut satis modica. Et mortificatio interior, quæ (nisi impossibilitas obstat) ad corporis castigationem non procedit, quod ficta sit & ridicula, magnum ex se indicium præbet.

*De Tranquillitate cordis.*

CAPVT XXXIV.

**M**AGNA cura ac diligentia tranquillitati tui cordis stude, nihilque te fecisse existimato, nisi ab eo omnem inquietudinem ac perturbationem depuleris. Ne te proprii defectus inquietent, sed ita ut atque in aliquam culpam incidaris, eam ex amore Domini detestare, & ad pacem reuertitor, & te tuaque omnia Christo committe. Ne te aduersa perturbent, sed ea citò transitura cogita, & non sine Domini voluntate ac prouidentia venire considera. Cordis tranquillitas ex ipsius cordis puritate dependet. Nam culpa licet leues cor lacerant, affectus inordinati discruciant. Negotia prophana, & sæ-

culari